



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ  
Deuotæ**

**Richeome, Louis**

**Coloniæ, 1610**

[Nihil certi de anima statuendum ex faciei coniecturis. Colloqvium LVI.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

ac delibare: ait ergo ille in quodam *Lib. II.*  
 Historiæ suæ loco. Frons & alijs: sed *c. 37.*  
 homini tantū tristitiæ, hilaritatis,  
 clementiæ, seueritatis index. In as-  
 censu eius supercilia homini, & pa-  
 riter & alternè mobilia, & in ijs  
 pars animi. Negamus, annuim<sup>o</sup>. Hæc  
 maximè indicant fastū. Superbia ali-  
 cui conceptaculum, sed hic sedē ha- *Superci-*  
 bet. In corde nascitur, huc subit, hic *lia super-*  
 pendet. Nihil altius simul abrupti- *bia sedes.*  
 usq; inuenit in corpore, vbi solita-  
 ria esset: & in alio loco super eadem  
 re verba faciens Trogi sententias *LII. c. 52.*  
 allegat, quibus id astruere conatur,  
 ac confirmare: Etsi tu & Zopyrum  
 illum nouisse debes, quem artis hu- *Cic. I. de*  
 ius professionem factitauisse Cice- *Fato.*  
 ro author est.

*Nihil certi de anima statuendum ex  
 faciei coniecturis.*

COLLOQUIVM LVI.

**V**ALDE ego te hoc loco cir- **THEO.**  
 cum spectū esse optarim, nec  
 nisi cum salis aliquo grano  
 ea accipere, quæ à me prolata sunt,  
 ne quis fortè eum in errorem pro-  
 Q 2 lab-

*Facies  
mendax.*

labatur, vt ex vultu infallibili planè  
de improbitate hominis aut bonita-  
te argumentum peti posse arbitre-  
tur. Amat namque & illud sæpenu-  
merò fieri, vt optima pulcherrima-  
que ingenia turpè ac deformem fa-  
ciem velut domicilium sortiantur:  
& è contra venustissimos eos à natu-  
ra efformari videamus, qui nisi quod  
improbè, q̄ sceleratè multa facere  
possunt, vix quidquã ab Aesopica  
illius vulpis simulacro differunt. Nã  
& in Aesopo extrema deformitas  
fuisse perhibetur, & hominè tamen,  
si quis alius, ingeniu à natura elegã-  
tissimum habuisse, nemo nescire po-  
test, cui vel fabulæ tantũ nõ ignotæ  
sunt, quas ille admirabili industria  
cõscripsit & excogitauit. Iã Absalo-  
nè è contra elégãtissima forma præ-  
ditũ, animã turpissimã & omnibus  
flagitiorum generibus contaminatã  
habuisse sacri Codices testantur. Est  
nimirum hæc supremi illius Cõdi-  
ditoris bonitas, vt corporis minus  
elegantè & decorã conformationè,  
ingenij pulchritudine viuacitateq̄  
cõpenset. Etsi & ipsa sæpè educatio  
ani-

animā formare, aut deformare possit, & quæ à natura lineamenta coloresq; traxit, variare ac commutare, vnde & istud tūc cōsequi necesse est, faciē nequaquā, quæ int<sup>o</sup> & in animo latent, ostēdere posse & indigitare. Cuius luculentum exemplum, apud Ciceronē in eo, quem de Fato librū conscripsit, de Socratis Physiognomicis lineamentis reperimus. Itaq; cum etiam mala & improba educatio mores cuiuspiā corrumpit ac deprauavit, iā facies eius larvā tantum esse oportet ac velum grægesū, sub quo anima fucata & pervertitur: cuiusmodi seculum nostrū multum quā feracissimū est, adeo ut vix Musicū vllum reperias, qui ei accommodat<sup>o</sup> sit, nisi probè admodū chordam eam, quā falsā artifices appellant, subindetangere ac percutere possit. Plenū illud est cæremonijs, plenū gesticulationibus, plenū manuū osculatis, adeò ut quando nonnulli studiosiores se tibi externis signis ostenderint, tantò tui maiores hostes sint ac inimici. Verū ut ut sit, illud reuera manet animæ similitudinem

*Educatio  
naturā  
mutare  
potest.*

*Socrates  
castissimus.*

*Pulcra  
facies  
hominis  
improbi  
anima tantum est.*

dinē nō leuibus lineamētis, sed claris & lucidis coloribus in facie esse adūbratā. Nā etsi saepenumero propter causas iā dictas inter prototypō & picturā ipsā dissimilitudo reperiatur, illud tamē certū ac indubitatum est, multas faciei notas impressas esse euidentissimas interiorū qualitatū; quod satis omninō est ad id, quod volumus, demonstrandum, esse videlicet non pauca, cur ea animæ pictura ac similitudo videatur appellanda.

*Facies horū est animæ passionum.*

COLLOQVIVM LVII.

THEOL.

Omnes

quatuor

passiones

in facie

sedem

habent.

Boet. l. 1.

de Cons.

Philos.

met. 7.

S. Thom.

1. 2. q. 25.

art. 4.

**O** Stendamus nunc quomodo eadē facies lucidissimū speculum animæ passionum sit, quæ ipsorū habituū effecta quædam appellatur. Primū itaq; quatuor illę præcipuæ Passiones, letitia, tristitia, spes, ac timor, quā pulchrē sedes oēs suas in illa collocarūt, in eaq; videri gestiunt & digito demōstrari? Letitiæ ergo frontē & oculos assignant, etsi primario os, quod risu & hilaritate sua velut colore quopiam lucidissimo ad viuū eā exprimit atq; de-

pin-